



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 10. Sacerdotes ne sint lubrici aut carnales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

Docere igitur Sacerdotes vult, quod quemadmodum caritas magna quædam virtus, ita ira non minus sit vitium, quæ vt euitetur, omnium potius iactura facienda.

CAPVT X.

Sacerdotes ne sint lubrici aut carnales.

Fauus distillans, ait in Prouerbijs Salomon, labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius amara quasi absinthium, & acuta quasi gladius biceps, Longè fac ab ea vitâ tuâ & ne appropinquens foribus domus eius. Docere Spiritus sanctus omnes hic Sacerdotes voluit, quantû meretrix malû ac perniciè fecû trahat, cuius labia & vultus voluptatè, delicias, ac blanditias præferre videtur; finis verò non nisi amaritudinè, tel & acridinè includit, qui si sibi bene consultû velint, procul ab hoc vitio recedere ac fugere debent, imò numquam limen vel ostium lupanaris accedere.

Sacerdotes meretricias domos fugiant.

Inueni, inquit Ecclesiastes, amariorè morte mulierem, quæ laqueus viatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius, Qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa &c. Cælitus hic docentur Sacerdotes, quàm noxia & pestifens sit mulierum cõsortium, cû laqueus sit, quo vitæ huius venatores capiuntur; cû cor earum rete & verriculum, quod omnia quæ hoc in mundo continentur concludit; cû brachiæ & amplexus illarum vincula & catenæ, quæ misellos illigant & constringunt. soli Dei amici hoc diluuiò eripiuntur, peccatores verò capiuntur & inescantur. |

Descriptio pellacis mulieris. Eccle. 7.

Dd 2

Consulit

Ecl. 24. *Confulit etiam Ecclesiasticus, In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim eius procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Docet hic Ecclesiasticus Sacerdotes, ne mulierum frequentent commercia, quod familiaritates illa hominum mores corrumpant, & præsertim Sacerdotum.*

Ephes. 5. *Apóstolus Ephesijs scribens ita ait, Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Insignis hæc doctrina non tam Ephesios, quàm omnes in genere Sacerdotes respiciebat: tanta quippe morum illorum honestas sit oportet, nulla ut lubricitatis fornicationisq; apud eos fiat mentio, imò ne eorum quidem quæ indirectè ad lasciuam tendunt; ita quippe sanctos & viros pietatem profitentes decet castitas.*

Ephes. 5. *Magnus ille dæmonum Iudex & gentium Doctor Paulus, decreta & sententias proferens, vnũ in fornicatores & lasciuos protulit, quos eos cælo & Christi hæreditate exclusit, Omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Decretum hoc improbos Sacerdotes comprehendit, qui ob lubricitatem & vitam lasciuam cælo priuati sunt, & beatitudine cælesti exclusi.*

Fornicatio graue peccatum. *In Prouerbij de meretrice agens Salomon ait, Inclinata est enim ad mortem domus eius, & ad inferos semita ipsius, omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur. Dicere vult fornicationem peccatum graue & enorme esse, quod animas inferno mancipat; & Sacerdotes qui illius se reos constituunt, salutis suæ naufragium incurrere, & labyrinthum ingredi, è quo nunquam egredi possent.*

In pri-

In prima ad Corinthios ita loquitur Apo-
 stolus, *Nescitis quia corpora nostra, membra sunt* 1. Cor. 6.
Christi, Tollens ergo membra Christi, faciam mem-
bra meretricis? absit. an nescitis quoniam qui ad-
haeret meretrici, vnum corpus efficitur. Qui autem
adhaeret Domino, vnus Spiritus est. Per sublimem
 hanc Philosophiam docere Sacerdotes volebat
 quàm graua Sacerdotum peccata forent, ac
 praesertim cùm fornicantur; eo quòd qui femi-
 nae se commiscet, vnum cum ea corpus efficia-
 tur, ac proinde corporis Dominici particeps
 esse nequeat: vt & è contrario, qui verè Deo
 vnitus est, idem cum eo efficitur Spiritus, atque
 hoc peccatum remis velisq; fugit & detestatur.

Dicere solebat Ambrosius lubricitatem, li-
 bidadinem & fornicationem esse naturæ tyrannum, *Lib. de Abel*
hominum tortorem, vitiorum omnium fomi- & *Cain.*
tem, seu criminum stimulum, & inimicum Libido na-
inquietissimum, qui nunquam manere quie- turae ty-
tum patitur affectum, qui nocte feruet, die an- rannus.
helat. Infelix igitur ille Sacerdos est, huic qui
deditus est vitio, quandoquidem tyranno se
tradit, qui illum exagitet, tortori qui torqueat
& cruciet, stimulo qui pungat, & crudeli ini-
mico, qui noctu diuq; illum affligat ac diuexet.

De eadem quoque re alibi agens ait, *Luxuri-*
osa, vt furiosa domina, exagitat, vrit, accendit. *Lib. de fuga*
merito propterea ab omnibus fugienda. *Inspiciens* *saecul.*
 Sacerdos ille est, qui tam atroci crudelique Do-
 minæ se in seruum tradit, quæ animas perpetuò
 cruciat, torquet & exagitat.

Meretrix, inquit Boetius nouaria, est inferni *De scolast.*
ianua, via iniquitatis, scorpionis percussio, visca- *discip.*
rium scelerum, puteus interitus. Ex magni huius Meretrix
 Philosophi mente Sacerdos qui meretricem inferni ia-
 ce-
 D d 3 acce-
 nua.

accedit, inferni ianuam adit, viam iniquitatis ingreditur, serpentum morfui se exponit, & in ærumnarum se puteum immergit.

Lib. de doct.
christ.
Libido
Dei aduer-
saria.

Luxuria, ait magnus Augustinus, est inimica Deo, inimica virtutibus, perdit omnem substantiam, & ad presens voluptate delinens, futuram non sinit paupertatem cogitare. Dicere vult, virum Ecclesiasticum, si hoc in vitium præceperuat, Dei se inimicum constituere, omnis virtutis ac probitatis aduersarium, omniumque bonorum operum dissipatorem, & vitæ huius caduca bonis inhærentem fallacibus, alterius miseriam inopiamque non advertere.

In Epist.
Libido
ignis in-
fernalis.

Merito proinde, exclamat Hieronymus, *O ignis infernalis luxuria! cuius materia gelu, cuius flamma superbia, cuius scintilla prava colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis damnatio perpetua, &c.* Dicere porro exclamatio hæc vult, luxuriam ignem diabolicum esse, cuius fomites, flabra, iustabellationes sunt superbia, ingluuies & colloquia: a quo si aduri se patiantur Sacerdotes, præter infamiam, ignominiam, sordes & cruciatus sempiternos nihil expectent.

Libido se-
nibus pro-
brofa.

Scripsit in Officijs Cicero, *Luxuria verò cum omni ætate sit turpis, tum maxime senibus est fe- disima.* Conceptum illius meo adaptans proposito, dico quod si infame peccatum libido est, omne hominum genus quam maxime dedecet, Sacerdotes & Religiosos qui in scriptura presbyteri dicuntur, præ ceteris hominibus dedecere.

Lib. 1. Offic.

Atque etiam ait idem author, *si considerare velimus, quæ sit in natura hominis excellentia & dignitas, intelligemus quam sit turpe dissuere lu-*
xuria.

xuria, & delicias carnales consecrari; è contra verò quam honestum sit appetitus refrenare, medietatem sectari, & continentiam. Oratoris huius sententiam materiæ meæ adaptans dico, Sacerdotem si vel parùm dignitatem & excellentiam muneris, ad quod vocatus est, considerare voluerit, visurum quamprimùm, quam turpe, infame ac fædum sit, luxuriam sectari, & carnalibus voluptatibus indulgere; è contra verò quam honestum, pulchrum & egregium, sobrium esse, & inuiolabilem castitatem tueri.

Post ethnicum hunc Oratorem alius quidam scriptor Christianus & fidelis, peccati huius *Hugo.* horrorem detestatus exclamat. *O extrema libidinis turpitudine! quæ non solum mentem effeminat, sed corpus eneruat; quæ non animam modò inquinat, sed hominem etiam inquinat & corpus.* Christianæ hæ exclamationes docent nos, Sacerdotes, quo horrore prosequi debeamus libidinem, cum ad eò turpe & fædum peccatùm sit, ut omnè animæ venustatem deturpando, omnè simul corporis decus & pulchritudinè auferat.

Benè proinde mea sententia scripsit Gregorius Pontifex, *Quelibet alia fiant bona opera, si luxuria scelus non abluatur, immensitate huius criminis obruuntur.* Dicere, quantum quidem colligere possum, vult, Sacerdotes quæcumque etiam bona virtutesque habuerint, si hoc vitio vel aliquatenus infecti sint, ab illius magnitudine cetera adobruui, omnemque suum perdere meritum ac valorem.

Primo Regù lib. scriptum est, filios Heli Sacer- *1. Reg. 2.* dotis Deum nescisse, nec quæ muneris sui forent satis perspecta habuisse, & peccata eorùm enormia sacrilegia fuisse. Porro *filij Heli filij Belial,*

Dd 4 nesci-

Sacerdotes
concupi-
narij simi-
les filijs
Heli.

nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum,
&c. Idem omnino de concubinarijs Sacerdotibus dici potest & Religiosis dissolutis, Deum scilicet nescire, neu quæ officij sui partes sunt, satis intelligere, & filios Belial esse, & peccata eorum magna valde & enormia.

David Propheta cum probè perspectum haberet, cur tot in mundo peccata inualescerent, & abominationibus scaterent omnia, unicam illorum esse dicebat causam, quod crederent impij nullum qui delicta castigaret, esse Deum. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus; idcirco corrupti & abominabiles facti sunt in iniquitatibus omnes declinauerunt, simul & inuiles facti sunt.* Sacerdotes profecto, quod omnem mundo iustitiam & vindictam diuinam proscribere & eliminare videantur, diuinaque iudicia non perhorrescant, ideo plenis habenis in omne vitiorum genus feruntur, & sceleratam vitam ducunt.

Psal. 13.

Eccli. 5.
Sacerdos
quod facit
votum negligit.

Isai. 52.

Sacerdotes
mundi
fiat.

Suadet scriptura vt vota promissionesque quanto cyus compleamus, & quæ Deo promissimus, quamprimum soluamus; nihil enim esse quod magis Deo displiceat, quàm stultam & infidelem promissionem. Quod verò votum infidelius & vanius, quàm improborum Sacerdotum, dum quam Deo vouerunt castitatem & quidem sollenni voto confirmatam, non seruant?

Mundos esse oportet illos, ait Isaias, qui portant vasa Domini. Sacerdotes profecto sunt, qui Domini vasa gestant, id est, Sacramenta, quæ vasa sunt gratiæ, administrant, & ad quos rerum sacrarum tractatio spectat; ideo mundi fieri oportet & casti, si quis vllus in mundo.

Orant

Orauit olim David *Quid mihi est in celo, & te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum Deus cordis mei, & pars Deus in eternum.* Idem repetat pius ac fidelis Sacerdos, nihilque præter suum in cælo terraue desideret Deum, eumque velut Deum cordis sui habeat, atque illi omnes animæ facultates & cor ipsum tradat; ille verò aliud quid spirat, nec Deum vt cordis sui custodem habet, qui Venerem impuram sectatur; femina quæritat commercia, libidinem ac fornicationem sequitur,

Spiritus sanctus peccatorem olim per Psalmitam coarguens, ait, *Quare enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum, tu verè odisti disciplinam? &c. si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Sacerdotes nefarios reprehensio hæc spectat inprimis; illi siquidem sunt, qui omnem disciplinam odio prosequuntur, quiq; cum adulteris portionem suam ponunt; cum fornicationem consecantur, & concubinarum frequentant; erubescere deberent, quòd peccatum sequantur, cum alios ad virtutem exstimulare ad illos incumbat.

Sacerdotes legis Mosæ, quâuis minoris momenti sacrificijs distinerentur, quâ ipsū vnicū & solū nouæ legis sacrificiū, multis tamen expiationibus sese præparare & in anno vicis suæ in tēplo habitare iuebantur, ne cū vxoribus carnaliter miscerentur. Quâto magis se emūdare & expiare Sacerdotes nouæ legis par est, qui quotidie magnū & venerandū missæ sacrificiū offerūt; si vero illis inhibitū erat domū adire, & vxorū commercio vtī, hosce multò potius nefas &

Innocent.
Epist. 3. ad
Exuperium
& ponitur in
decret.
dist. 82.

illicitum erit, domos suspectas adire & lasciuarum muliercularum commercia sectari.

1. Reg. 21.

Sancti panes non nisi à mundis comeduntur.

Exod. 19.

David Saulis persecutionem fugiens, & in urbem Nobe concedens, Achimelech Sacerdotem accessit & panem petijt, tum sibi tum socijs: sed ait Sacerdos alios se non habere quàm panes sanctos. Quamobrem petijt, *Si mundi sunt pueri maximè à mulieribus?* Si Sacerdotis Iudaici iudicio nemo panem illum figurantem comedere potuit, nisi qui mundus & sanctus foret, imò & ab vxorio amplexu liber; illi ne altare accedere audebunt panem Angelicum manducaturi, tamque diuinum ac sanctum Sacramentum administraturi, qui quotidie lupanaria & meretrices frequentant?

Moses cum montem Sinai conscensus esset, populo mandauit, sese ut sanctificaret, vestimenta ablueret, & ab vxoribus abstineret, *Cumq; lauissent vestimenta sua, ait ad eos, Effite parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* Si ad montem conscendendum tanta fuit puritas necessaria, quo Sacerdotes animo ad montem illum altaris accedere possint? lasciuia illa oscula, post sacrilegos amplexus, impura illa contubernia, ac diuinum illud, celeste & incomprehensibile Sacramentum, ore polluto, corde immundo, & anima inquinata recipere præsumunt?

Rom. 60. ad pop. Ant.

Quo non puriorem esse oportet, tali fructum sacrificio? quo solari radia splendidiorem manum carnem hanc diidentem, os illud igne spirituali repletum, & linguam illam, pretioso illo sanguine cruentatam? Hęc Chrysostomus. Si sanctus hic Pater, manus, os & linguam Sacerdotum, qui sacrum Iesu Christi corpus tractant, comedunt ac recipi-

recipiunt, solaribus radiis nitidiores esse voluit; quãtò purior ac mūdior anima illi⁹ sit oportet? Sacerdotes

Cogita, ait eodem loco Chrysoſtomus, Sacer- enutrien-
dos, quali sis insignitu honore, quali mensa fruaris, tunc eo
quod Angeli videntes horrefcunt, nec liberè audent quod An-
intueri, hoc nos pascimus, hoc nos viuimus, & vnum geli videt.
corpus & vna caro cùm Christo efficimur. Diuinum
 & luculentum argumentum, quo efficere vult, ſc
 Angeli, quorum tanta ſanctitas, venerabile hoc
 Sacramentum Eucharisticum ne intueri qui-
 dem audent, Sacerdotes qui ipsum manibus tra-
 ctant, eodem viuunt & pascuntur, & diuinitati
 vniri ſunt, Spiritibus illis cœlestibus multò eſſe Sacerdotes
 puriores ac mūdiores debere. improbi

Scriptum eſt apud Sapientem, *Non intrabit a-* æterna in-
nimam maleuolam ſapientia, nec habitabit in cor- digni ſapi-
pore ſubdito peccatis. Iuxta diuinum hoc oracu- entia.
 lum perfectè credendū, nefarios Sacerdotes, quo Sap. 1.

rum anima ſimul & corpus peccatis inquinata ſunt, ſanctū hoc Sacramentū, quod æternā ſapi-
 entiam in ſe includit, vt recipiāt indignos eſſe.

Scriptum eſt etiam Eccleſiaſticus, *dona iniquorum*
non probat Dominus, neque reſpicit in oblationes
iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum eorum
propitiatur peccatis. E quo colligitur Deum Sa-
 cerdotes & religioſos qui carnaliter viuūt, vo-
 taque ſua peſſundant, negligere, eorum oratio-
 nes cõtēnere, imo nec illorū ſacrificiis placari. Eccles 34

Maledicto eos olim Dominus dignos cēſuit, *Qui ſca-*
qui aliis ſcandalo forent: quare ait, Va homini il- dalum
li per quem ſcandalum venit, &c. Qui ſcandali- dant à D.
zauerit vnum de puſillis iſtis, expedit ei vt ſu- maledicti
ſpendatur mola aſinaria in collo eius, & Matth. 18.
demergatur in profundum maris. Vos ve-
 rò Sacerdotes qui immunditia & ſordibus
 veſtris

vestris Christianis omnibus scādalo est is, certi estote, à Deo vos maledicendos, multoque vobis satius fore, si lapidem molarem ad collum habentes in profundum demergeremini oceanum.

Psal. 49.

Per Psalmographi os olim Spiritus sanctus loquens, de peccatoribus ex postulans dixit. *Aduersus filium matris tua ponebas scandalum, hoc fecisti & tacui.* Directè hoc de Sacerdotibus intelligendum est, illi quippe dissolutionibus, lubricitate & fornicatione sua fratrem suum Christianum, adeoque omnes sanctæ matris Ecclesiæ filios scandalizant.

Psal. 72.

Deus fornicatores & lasciuos destruet.
2. Reg. 8.

Magnus ille Israelis rex Dauid de peccatorum ruina vaticinatus, hunc in modum locutus est, *Quia ecce qui elongant se à te peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te,* id est, qui à sancto cultu tuo recedunt, quò fornicationi & impudicitia se dedant. De Sacerdotibus intelligi hæc Prophetia debet, ac de iis præsertim, qui tergum Deo obuertentes, eiusque sanctum obsequium dereliquentes, sensualibus ac carnalibus cupiditatibus habenas laxant, qui omnes haud dubiè malum exitum consequentur, ac tandem aliquando vindicem Dei manum sentient, dignamque maleficiis sceleribusque pœnam luent.

Si Oza temeritatem olim Deus, quod arcam Domini labantem sustineret, tam graui dignam celsit supplicio, vt vitam perdiderit. *Iratusq. est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta arcam.* Quanto potius castigari meretur temeritas, impudentia inquam Sacerdotum, qui variis Deum sceleribus offendentes, Missam celebra-

re, ac post tot lasciuias & turpitudines, corde, ore, corpore, & anima impudica non iam arcam, sed verum Iesu Christi corpus, tangere, & Sacramenta in illius Ecclesia administrare præsumunt?

Non parua vobis (alloquitur Sacerdotes Chry-
sostomus) *imminet vltio. si quæ cuiuspiã consciã*
nequitia, huius mensæ participem esse concedatis,
sanguis eius de manibus vestris exquiretur. Si verò
puniri Sacerdotes merentur, quòd aliquem
sceleris reum, ad Sacrosanctam Eucharistiã ad-
mittant; ipsi annon grauiùs castigand: si peni-
tus immundi & inquinati & variis oppleti cri-
minibus ad altare accedere, & horrendum mis-
sæ sacrificium celebrare audeant?

Hom. 60. ad
populum.

1. Cor. 11.

Sacerdotes
indignè
celebran-
tes. iudici-
um suum
celebrant.

Ait in prima ad Corinthios Apostolus, *Qui*
autem manducat & bibit indignè, iudicium sibi
manducat. O verba terribilia, vera tamen! quæ
docent Sacerdotes carnales & concubenarios,
qui ad eò indignè Missæ sacrificium celebrant,
iudicium, mortem sibi & damnationem cele-
brando arcessere, eosque corporis & sanguinis
Dominici constitui, & tandem aliquando velut
perfidios & proditores, Iudæ instar damnandos.

Lasciuia ac libidinem Sacerdotum ita fem-
per Ecclesia detestata est & abhorruit, pluribus
vt in locis decreuerit quòd, *Qui post acceptum*
sacrum ordinem, lapsus in peccatum fuerit carnis,
sacro ordine ita careat, vt ad altaris ministeri-
um vltius non accedat. Colligite hinc lasciu-
ac concubinarij Sacerdotes, vos si summo vobi-
scum iure ageretur, degradari ob vitæ scanda-
la, & à Missæ sacrificio priuari debere.

Sacerdos
adulterij
conuictus
monaste-
rio inclu-
datur.

Concilium verò Aurebianense longè graui-
us in eisdem decretum tulit, *Siquis clericus a-*
dulte-

Dist. 87. c.
cod.

*dulterasse aut confessus aut convictus fuerit, de-
positus ab officio, communionem concessa, in monasterio
vita sua tempore detrudatur. Utinam decre-
tum hoc hodie in usu foret, quot panitentes
cernere esset, quot monasteria repleta, quot pa-
nitentias, quot Sacerdotes huius criminis reos,
sed quæ temporū nostrorum calamitas, exhibe-
latur hic canon, liberè omnes in lasciviam re-
unt, & commune iā vitiū est Sacerdotū lascivium.*

Sess. 23. c.

14. de cohab.
bi. cler. &
mul.

Turpe est
Sacerdotem esse
impudicū

*Quam turpe, ait Concilium Tridentinum, ut
clericorum nomine indignum, in impudicitie
dibus immundoq, concubinato versari. Et sane
hil foedius, nihil turpius, quam clericos lascive
viuere, meretrices frequentare, & illicito con-
cubitu domum suam polluere, quod nomine &
dignitate quam praeferunt, est indignis-
imum.*

Excom-
munica-
tur

Sess. 25. c.

14. de co-
hab. cler. &

mul. c. 2. &

3. de sent.

excom. c. Si
conubina.

*Porro tanta sceleris huius est abominatio, ut
magnum hoc & generale concilium in illius ca-
stigationem decreuerit, ut, si Ecclesiasticus con-
cubinatus convictus fuerit, & post amicas &
salutares exhortationes, à peccato non recesserit,
omni mox officio & beneficio priuetur, &
simul honore & loco inter ceteros indignus
dicetur; & si ne his poenis resipuerit, & scanda-
losas mulierculas à se dimittere aut repudiare
renouerit, excommunicationis gladio puniatur,
& à numero fidelium excludatur. O di-
uina decreta, & leges egregiae! cur verò hodie
na die abrogatae videmini? cur vsus inoleuerit,
ne si hodie observaremini, quot beneficia vacarent,
quam multi inhabiles, quot Sacerdotes irregulares
conspicerentur; quot item Ecclesiastici excommunicati? Quamobrem Sacerdotes
vitam in melius commutate, abominatio-*

has relinquite & excommunicationis fulmina
perhorrescite. *Dist. 32. c. 6. eod. & dist.*

Adhæc canones prohibent simul & magnus
Pontifex Nicolaus, Nullus vt Missam audiat pres-
byteri, quem scit concubinam indubitanter habere. *81. c. si qui sunt.*
Magnum igitur & graue illorum peccatum est,
cum ne concubinarij quidem Sacerdotis Mis-
sam audire liceat. *Sacerdotis concubi-
narij mis-
sam nemi-
ni audire
licet.*

Non solum Sacerdotes, (ait Ioannes Driedo S.
T. Doctor) qui Sacramenta indignè tractant, iram
Dei super se prouocant, sed omnes qui ipsis indignè
celebrantibus quodammodo communicant. Dicere
vult Sacerdotes peccata vestra enormia & gra-
uia esse, cum non solum, quòd post nefarios &
illicitos amplexus celebretis, Deum offendatis,
sed alios etiã qui officio vestro adstant, peccato
inuoluatis & vt Deum offendant, in causa estis. *Del. ebrist. l. c. 11. Greg. 7. dist. 81. c. eod.*

Si qui sunt presbyteri, ait magnus Papa Grego-
rius, qui in crimine fornicationis iaceant, interdi-
cimus eis ex parte Dei omnipotentis & sancti Petri
auctoritate introitum Ecclesie, vsque dum penite-
ant. Sententias has & decreta videant Sacerdo-
tes lubrici, sibiq; persuadeant, Deum si in peccato
progrediantur, de peccato vindictam sumptu-
rum, & in peccati detestationem Ecclesie suæ
introitu illos interdicere. *Sacerdotes fornican-
tes Eccle-
sia arce-
tur.*

Idem quoque ex parte Dei omnipotentis, & *ibid.*
Apostolicæ sedis auctoritate decernit, Si
quis verò in peccato suo perseuerare ma-
luerit, nullus vestrum eorum præsumat audire
officium: quia benedictio eorum vertetur in male-
dictionem. O verba horrenda ac terribilia, hic
aures & animos aduertite Sacerdotes, quam-
primùm ab hoc vitæ dedecore & impudicitia re-
cedite, vitiis his valedicite, lasciuie valedicite,
concu-

concupinas dimittite, sordes hæc deſerite, horrorem peccati veſtri relinquite, & cogitate vos, quâdîu hoc in ſtatu verſamini, Dei inimicos exiſtere, ab officio ſuſpenſos & interdîctos, & quidquid demum agitis aut dicitis, Deo diſplicere & hominibus ſcandalum aſſerre, benedictiones quoque & preces in maledictiones & vitia conuerti.

CAPVT XI.

Sacerdotes à iuramento abſtineant,

Blasphemus punitur Nabuchodonosor.

Dan. 3.

Babyloniorum Rex Nabuchodonosor, viſo, Daniele inuiolatum & ſoſpitem lacu ignis egreſſum eſſe, veri Dei numen agnoſcens, edictum quiddam promulgauit, vt quicumque Deo Sidrach, Miſach & Abdenago malediceret, morti traderetur, & domus illius ſolo æquaretur, *Ame ergo poſitum eſt hoc decretum, vt omnis populus, tribus & lingua quacumque locuta fuerint blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach & Abdenago, diſpereat, & domus eius vaſtetur.* Sexcentæ leges ſunt tum humanæ tum diuinæ, quæ omnes quicumque eundem Deum blaſphemauerint, & ſanctum eius nomen in vanum aſſumpſerint, etiam ſi Sacerdos ſit, morti tradant, & animas illorum damnationi immergunt.

Blasphemus morte afficitur. *Leuit. 24.*

Quin & in Leuitico regium ac diuinum decretum de blaſphemis legere eſt, *Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur.* Decretum hoc cæleſte Sacerdotes imprimis ſpectat, qui ſi per Dei nomen iurare temere præſumpſerint, reiſa & iure morti perpetuæ, addicendi ſunt.